1609/4635(2)

DUÆ

ORATIUNCULÆ,

Habitæ in Encæniis celebratis, A. D. 1773,

OXONII

IN HONOREM

Honoratissimi Domini Domini NORTH,

CANCELLARII.

D.r Bentham

DUÆ
ORATIUNCULÆ,

Habitæ in Encæniis celebratis, A. D. 1773,

OXONII

IN HONOREM

Honoratissimi Domini Domini NORTH,

CANCELLARII.

ADVERTISEMENT.

THE Archbiſhop of Canterbury having honoured the Univerſity of Oxford with his preſence during the *Encænia* celebrated in Honour of Lord *North*'s Inſtallation into the Office of *Chancellor of the Univerſity of Oxford*, it ſeemed proper for the Univerſity to pay ſuch honours to his Grace as He ſhould be pleaſed to accept.

That of admitting to an Honorary Degree in Divinity, as it was the higheſt Compliment which the Univerſity had to give, ſo it was what his Grace was well contented to receive.

But the caſe of ſuch Admiſſion was new and ſingular. Placed at the Head of the Church, and conſequently of the Univerſity, and having in himſelf a Source of ſuch Honours as are conferred in the Univerſity, He could not with any propriety be ſubjected to the ſame Formalities, which are uſual in ordinary caſes.

It being therefore referred to the judgment of the Regius Profeſſor of Divinity, whoſe pro-

per Office it is to make the Preſentation*, it was agreed, that the Archbiſhop, inſtead of being preſented in the Theatre on the Floor, ſhould be placed on the Left Hand of the Chancellor's Chair, the Vice-Chancellor on the Right, the Regius Profeſſor of Divinity receding a little from his place, and ſtanding on the Left of the Archbiſhop.

The Chancellor propoſed the Grace, and the Aſſent of Convocation being given, the Profeſſor advanced a few ſteps nearer to the Chancellor, and touching the Archbiſhop's Right Hand, made his Obeiſance, and addreſſed himſelf to the Chancellor in the following Oration.

* Among the Formalities obſerved at a Publick Act, it is uſual for the Profeſſor to addreſs himſelf to all the Inceptors in Divinity, with ſome Reflexion ariſing from the *Scarlet Robe* with which they are inveſted;—from their having *Boots* on their Legs, (another part of the ſtatutable Dreſs);—from the Book of *Holy Scripture* delivered to each;—from the *Cap* then placed on their Heads;—from the *Ring* put on their Finger;—from the *Kiſs* with which the Profeſſor ſalutes them.——Out of theſe the Profeſſor ſelected ſuch as ſeemed moſt eaſy to the Archbiſhop, and leaſt tireſome to the Audience.

The ſecond Form of Preſentation was made uſe of on the next day, and is added for the peculiarity and appoſitenecſs of it to the chief object of the Solemnity.

Honoratiſſime

BRITISH MUSEUM 30 70 APR

HOnoratiſſime Cancellarie, Voſque egregii Procuratores, Præſento vobis Reverendiſſimum hunc Præſulem Dominum Dominum Fredericum Cornwallis, Totius Angliæ Primatem, Virum omni Honorum genere florentem.

Et quidem de Genere et Proſapiâ tacendum arbitrarer, ab ultimo licet Nobilitatis fonte deductâ, niſi commemorare poſſem compoſitum Jus Faſque Animo, Pectuſque generoſo Honeſto penitùs incoctum, et niſi Claritudinem inſuper Ei adjungerent placidiſſimorum Morum Simplicitas Ingeniique Liberalitas. Stadia quidem Literaria in Academiâ Cantabrigienſi rite et ordine emenſus reportavit omnia comprobationis Academicæ teſtimonia. Decurſu honorum Eccleſiaſticorum maximâ ex parte confecto, Provinciâ, quam habuit maximam, illum auxit Rex Optimus, quâ nulla certe in hâc Britanniarum Regione occurrit illuſtrior aut magis negotioſa. At tamen ſingulari Comitatis exemplo, Vir Ampliſſimus ſe noſtris Ordinibus adſcribi non dedignatur.

Gratulor itaque mihi de fortunis meis, cui in mandatis tribuitur, ut de Laudibus Ejus aliquid delibans Honoris hujuſce præludia peragam.

Et ſane imprimis *Biblia ſacra*, Munus gratiſſimum Tibi, Vir Reverendiſſime, obtuliſſem, Munus ipſis Antiſtitibus Eccleſiæ noſtræ ſolenniter, et quidem cum Imperio, a Te tradi ſolitum.

Ego vero, quem minime decuerit aliquid cum Imperio Tecum agere videri, ab hoc Libro Tibi tradendo abſtineo. Quin potius, Confratrum meorum nomine, Mihi fas ſit coram Te profiteri, Nos omnes, quotquot Oxonii Theologiæ excolendæ nomina dedimus, id ſtrenue acturos, ut Mores Doctrinæque noſtræ ad hanc Regulam ſacroſanctam conformentur.

Digneris tamen *Cathedram* hanc Theologicam capeſſere, inque eâ *Pilei* jure, Auctoritatis ſymboli, prout Tibi libitum fuerit, uti.

Accipias etiam *Annulum*, Amoris teſſeram, quo Te nobis devinciri pateris, omni viciſſim Obſervantiæ ſinceræ ardore a nobis reverendus.

Tibi autem, Domine Cancellarie, nullum profecto ſpectaculum contingere potuit lætius, nullum Academiæ Oxonienſi honorificentius, quàm Eum virum Solennitatibus noſtris intereſſe, Decuſque et Laudem iis aliquatenus arrogare, quem in Republicâ Eccleſiaſticâ ordinandâ Auſpicem, in Civili Satellitem Tibi conſtituit Rex Optimus.

Gratiſſimâ

Gratiſſimâ certe memoriâ recolimus, Vigilantiâ quàm acri, Studio quàm indefeſſo, Fortitudine quàm ſtrenuâ Uterque Veſtrûm, Viri Digniſſimi, temerarios aſſultus Hoſtium Eccleſiæ nuper repuliſtis. Multa Fidei Veſtræ et Amoris documenta recenſeri in Biennii proxime elapſi annalibus invita fatebitur uſque Invidia.

Intueamini igitur, Academici, et Colite venerabiles hos Viros in celſiſſimæ Dignitatis faſtigio poſitos; eoſdem tamen aditus habentes facillimos; paratos nimirum ſingula quæque ad rem literariam provehendam ſpectantia felicem ad exitum perducere; curanteſque, quâ apud Regem clementiſſimum valent Gratiâ et Conſilio, ne bene merentibus unquam deſint Laborum ſuorum vel Incitamenta vel Præmia.

Quod vero Præſul hic honoratiſſimus Dignitatis ſuæ multifariæ Inſulis Academiæ noſtræ Lauros intertexi ſinat et geſtiat, illud, ni fallor, innuit Vir Benevolus, ſeſe Omnibus, in quibus Virtutis ſpecies adumbrata eminuerit, ſive illi Cantabrigienſes ſint, ſive Oxonienſes, eſſe et fore Amicum.

Deus omen fortunet, ut Utriuſque Academiæ, qualem decet eſſe Sororum, Facies ſit eadem! ut Almarum Matrum Filios quos communis Religionis et Eruditionis cauſa conjunxit, nullæ unquam

unquam Suſpiciones aut Simultates malæ divellant; Quin potius ut mutuæ Benevolentiæ Officia eos ſibi invicem arctiori Cognatione devinciant, et Amorem Eorum perinde ac Ingenia indies augeat foveatque honeſta Æmulatio!

Præſento igitur Tibi, Domine Cancellarie, Reverendiſſimum hunc Præſulem, ut Tuæ Vocis Præconio admittatur ad eundem Gradum Statum et Dignitatem apud Nos Oxonienſes quibus ornatus eſt apud ſuos Cantabrigienſes.

HOnoratiſſime Cancellarie, &c.

Præſento Vobis Reverendum Thomam Dampier, S. T. D. Canonicum Vindeſorenſem et Regiæ Majeſtati a Sacris domeſticis.

Ignoſcite mihi, Academici, neque importunus Tibi videar, Domine Cancellarie, ſi mea in hoc argumento aliquatenus ultrà modum harum Præſentationum exultet et fuſiùs evagetur Oratio. Fuit enim Hic Vir reverendus Noſtris Muſarum ſedibus, in Collegio Corporis Chriſti, primitùs adſcriptus; mox faventis Fortunæ beneficio in Societatem Regalem apud Cantabrigienſes cooptatus; deinde ad Etonenſes evocatus, ut Pueritiæ Tuæ Literulis humanioribus imbuendæ præficeretur.

Quâ verò Fide, quâ Diligentiâ, quâ Solertiâ lubricum Juventutis Tuæ ingreſſum inſtituit, quâ Curâ aſſiduâ confirmavit, quæ Semina injecit, ex Fructu poſſit judicari: Nunquam certe a Tuo Latere diſceſſit, priuſquam imberbis adhuc Juvenis, Studiis Academicis inſtituendus, ad Collegium Trinitatis, tanquam in primum Navigationis periculoſæ Portum appuliſſes. Quinimo in toto hoc Curriculo philoſophico Præceptionis ſuæ Officia nunquam intermiſit, ſed Conſiliis Monitiſque ſuis curavit Abſens Præſens ut eſſet Tibi.

Minime

Minime itaque mirandum eſt Te, eximiâ Naturæ Bonitate prædítum, domeſticæ Virtutis Auctoritate præmunitum, prudentiſſimiſque Hujus Viri Præceptionibus adjutum, non mirandum eſt, inquam, Te cum Fratre Tuo et Contubernali Comite de Dartmouth, ſingulari plane Modeſtiæ, Pietatis, Induſtriæque Exemplo Coætaneis Veſtris profuiſſe, et Gloriæ futuræ præludia edidiſſe, non inani Titulo Principes Academicæ Juventutis.

Hunc itaque Virum nemo arrogantem dixerit, nec vanus Ipſe arguar, ſi ad eum transferenda cenſeantur hæc Cyri verba ad Lyſandrum in agros ab eo diligenter conſitos intuentem;

" Ego iſta omnia ſum dimenſus, Mei ſunt " Ordines, Mea Deſcriptio, multæ etiam il- " larum Arborum Meâ manu ſunt conſitæ, et " huic et alteri ſæculo profuturæ."

Videtis, Academici, quantopere hæc Solennia veſtra ad hunc Virum, propiori quodam Communicationis jure, pertineant. A Laboribus enim hujus Magiſtri jacta ſunt Fundamenta Laudum, quæ in Cancellario noſtro nunc vigent et inclareſcunt, et quarum Beneficia ad Rempub. Britannicam redundant.

Ei certe debentur Honores quos habetis maximi. Cum vero in Academiâ Cantabrigienſi ad ampliſſimos ſit evectus, Præſento eum, &c.

BRITISH MUSEUM 30 70 APR